



60

7

11. 11. 11.



20.

DE  
VNIVERSALIS  
PRIMÆVÆ ECCLESIAE  
AVCTORITATE  
EXERCITATIO,  
QVAM  
AVSPICE DEO OPT. MAX.

SVB PRAESIDIO  
FRIDERICI VLRICI CALIXTI  
S. THEOL D. ET PROF.  
PUBLICE  
IN ACADEMIA IULIA  
DIE MARTII  
SVSTINEBIT  
JOHANNES HYNGE  
SEESENSES.

HELMESTADJ,  
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVBIT  
HENNGOV<sup>VS</sup> MULLEVR<sup>VS</sup>.  
CIO ID CCLIV.





*Admodum reverendo, clarissimo & eru-  
ditissimo viro,*

**DN. M. IOHANNI ANDREÆ**, ad D. Pe-  
tri apud Susatenses Pastori primario, sacrique Ministerii  
*ibidem Inspectori vigilissimo, Hospiti olim meo*  
admodum benefico & Promotori  
venerando;

*VT ET*

*Reverendo, pietate & doctrinâ egregio  
viro,*

**DN. HENRICO MEIERO**, Verbi divini  
in Dincter Präconi fidelissimo, Avunculo meo  
maxime honorando;

*NEC NON*

*Præstantissimo & doctissimo viro,*

**DN. CHRISTOPHORO Hingst / Susatensis**  
Gymnasii Collegæ dignissimo, Fratri meo ut unico  
ita dilectissimo;

*Exercitationem hanc academicam in animi grati  
monumentum & ulterioris favoris incita-  
mentum.*

*Consecro & dedico*

**IOHANNES Hingst.**



Suū Θεω̄.

## DE VNIVER SALIS PRI- MÆVÆ ECCLESIÆ AVCTO- RITATE.

**N** omnibus, quotquot mente huma-  
nâ comprehendendi possunt, disciplinis prin-  
cipia esse, è quibus conclusiones deducan-  
tur, manifestius est, quàm ut probatione  
opus sit. Nisi enim in demonstracioni-  
bus & deductionibus, sive dogmata fidei  
sive res, quæ rationi subsunt, concernant, ponamus prin-  
cipium, in quo intellectus fistat, & ultra quod progredi  
non detur, quodque ipsum aliunde non probetur aut  
deducatur, necessum est hujusmodi probationes vel in  
circulum commeare, vel in infinitum abire. Dari au-  
tem progressum in infinitum ut impossibile, ita circu-  
lum committere absurdum est.

II. Cæterùm licet unum saltem sit primum & sum-  
mum principium, huic tamen plura subordinari, & ad  
modum conclusionis è priori deduci nihil prohibet.  
De disciplinis, quæ principiis lumine nauræ notis inædi-  
ficantur, solliciti nunc non erimus, saltem principiæ  
conclusionum Theologicarum considerabimus. De  
primo autem & summo, sacrâ videlicet Scripturâ, egi-  
mus alias: modò secundarium, ab ipsâ Scripturâ com-  
mendatum, & ab oecumeniorum Conciliorum Patribus  
ad hostes veritatis expeditiūs prosternendos adhibitum,

A 2

con-

contemplabimur. Facit utriusque mentionem sanctus Augustinus de doctrinâ Christianâ libro 111 cap. 11; *Regula fidei*, inquiens, de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiae auctoritate percipitur. Cum Augustino facit Vincentius Lerinensis Commonitorii sui initio; scripti profectò non delirantis alicujus monachi, ut hodie nonnemo appellat, & proinde delirum, sed ut Magdeburgenses jacent, dicant, eruditum & acutum, quodq; hereticorum fraudes clarè in apertum producat, detegat atq; egregiè impugnet, quin & præsens valdè remedium & antidotum quasi contra eorum venena ministret: in quo scriptoris vis ingenii eluceat, & doctrinæ magnitudo. Sed ipsa viri verba, ad rei præsentis illustrationem in primis facientia, integrè adscribo. *Qui in fide, inquit, sanus atq; integer permanere vult, duplo modo munire fidem suam, Domino adjuvante, debet, DIVINAE LEGIS AVCTORITATE, tum deinde ECCLESIAE CATHOLICAE TRADITIONE.* Rufus Commonitorii secundi cap. antepenultimo: *Fides vera duobus modis approbatur, primum divini canonis auctoritate; deinde Ecclesiæ catholicæ traditione: non quia canon solus non sibi ad universa sufficiat, sed quia verba divina pro suo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones erroresq; concipient.*

III. Si Vincentium igitur audiamus & sequamur, duo erunt principia, è quibus articuli fidei & ea, quæ ad salutem necessaria sunt, probentur, **SCRIPTURA & TRADITIO**, sive consentiens primæ priscæque Ecclesiæ testimoniū.

IV. Quoniam autem termino principii h̄ic utimur, breviter, quòd diversimodè accipiatur, indicabimus. Sumitur principium (de principio cognoscendi nos loqui liquet) tribus potissimum modis. Primo enim eo nomine interdum medius terminus venit, quem aliàs

alias principium incomplexum vocant. Deinde ita appellatur integra propositio, quâ medius terminus syllogismi continetur; quam complexum principium dicere amant. Tertiò nonnunquam principii nomine id quoque intelligitur, quod est ἀρχή τις ἡ τοιχεῖος, ἀφ' ὧλαμβάνου τὰς τοιχεῖας ἀρχάς, principium quoddam vel elementum, aut si mavis quasi domicilium, (unde ejusmodi quoque Loca appellantur) è quo principia rei cūjusque sumimus; ut Theophrastus apud Alexandrum Aphrodisiensem in Proœmio super primum Topicorum loquitur.

V. Quando autem dicimus juxta mentem Vincentii duo esse principia, quibus articuli fidei & quæ ad salutem sunt necessaria, probentur, nempe Scripturam & Traditionem veteris Ecclesiæ; inconcussum cupimus servari hoc discrimen, quod S. Scriptura sit unicum illud primum & summum, supra quod non sit aliud: Traditione vero Ecclesiæ, secundarium, à priore non solùm commendatum, eiisque subordinatum, sed per legitimam & bonam consequiam inde deductum & derivatum, ut cum eo comparatum non sit principium, sed conclusio. Deinde ne quisquam quod dextrâ tradimus, sinistrâ arripiat, addimus & monemus, nos per traditionem non velle intellectam doctrinam à Scripturis canonice alienam, sed potius Ecclesiæ priscae catholicæ que testimonium & consensum, quo ipsa illa, quæ in Scripturis proponuntur, dogmata comprobentur. Nihil itaque nobis commune cum Pontificiorum placito, qui per traditionem sive verbum non-scriptum, doctrinam quæ in canonice Scripturæ libris non contineatur, & nihilominus creditu ad salutem necessaria fit, intelligunt.

VI. Scripturam ipsam quod attinet, esse eam principium, ultra quod in discursu sub lumine fidei circa res credendas progredi non liceat, negabit nemo, nisi qui ejus auctoritatem ab Ecclesiæ aut fortè Romani Pontificis auctoritate pendere persuasus fuerit. Traditioni verò Ecclesiasticae & venerandæ antiquitati haut facile detrahet, nisi qui vel superbiâ tumet, vel ignorantia laborat. Nihil itaque moramur eos, qui ut venerandi priscæ Ecclesiæ consensus vim enervent, in opprobrium aliorum, qui magni faciunt & tuentur, ineptum quinquesecularium vocabulum commenti sunt.

VII. Verùm enim verò longè rectius judicavit beatus noster Chemnitius, quando primâ parte Examinis, ubi agit de tertio Traditionum genere, *Simplex*, inquit, *veritas firmiter fundata & sibi bene conscientia, nec reformidat nec subterfugit vera antiquitatis testimonia*. Et ubi agit de quarto: *Nullum est dubium, primitivam Ecclesiam accepisse ab Apostolis & viris Apostolicis non tantum textum, ut loquimur, Scripturæ, verùm etiam legitimam & nativam ejus interpretationem*. Et ubi agit de sexto: *Fatemur nos ab illis dissentire, qui singunt opiniones, quæ nulla habent testimonia ullius temporis in Ecclesiâ—Sentimus etiam nullum dogma in Ecclesiâ novum, & cum totâ antiquitate pugnans recipiendum*.

IIX. Cæterum hoc principium nemo non admittit, *Quidquid Sacra canonica Scriptura dicit, divinitus scriptum & infallibiliter verum est*. Dicit autem Scriptura, adversus Ecclesiam, nempe catholicam universam, *non prævalituras esse portas inferorum*, id est, à vitiis irrepentibus, perseguitionibus incumbentibus & hæresibus sive erroribus fundamenta evertentibus nunquam eam superatum aut peccatum datum iri: quod sit *columna & firmamentum veritatis*, cui ipse Christus Dominus se omnibus dictus usque ad

cor-

Matt. 16,18.

Tim. 3,15.

Matt. ult.

x. ult.

consummationem seculi affuturum promiserit. Hinc itaq;  
sequitur, universam Ecclesiam, quando agitur de do-  
ctrinâ fundamentali & ad salutem necessariâ, non posse  
falli aut errare; & proinde ex priore principio hæc na-  
scitur conclusio, *Quod universa Ecclesia unanimi consensu*  
*amplectitur, id minimè est rejiciendum.*

IX. Porrò Romanum orbem & imperium primæ  
Apostolicæ Ecclesiæ domicilium præbuisse ex ipsâ iti-  
dem Scripturâ, Actisque & Epistolis Apostolicis mani-  
festum est: nempe Ierosolymis, Antiochiæ, Romæ, Co-  
rinthi, Ephesi, imò per universum orbem Romanum  
Apostolorum Apostolicorumque viorum operâ fun-  
datas fuisse Ecclesiæ ad posteritatem notas & nobiles.  
Et has veras Christi fuisse Ecclesiæ, sinceritate doctri-  
næ & sanctimonî vitæ illustres, fortunarum suarum  
vitæque & sanguinis satis diu prodigas, alio nullo fine,  
nisi ut fidem Christi & doctrinam, quam ab Apostolis  
acceperant, illibatam conservarent, itidem è Scripturâ  
manifestum est. *Sancti sunt cum quibus bellum gessit bestia,*  
Romani imperii imago, Apocal. XIII, 7. *Mulier illa, quæ*  
*est urbs illa magna, quæ habet regnum super reges terræ, ebria*  
*est sanguine sanctorum & martyrum Iesu,* Apocal. XVII, 18  
& 6. *Ehi draconem illum magnum, serpentem illum antiquum,*  
qui vocatur Diabolus & satanas, qui seducit totum terrarum  
orbem, per sanguinem agni & per sermonem testimonii sui vice-  
runt, & animæ suæ prodigi fuerunt usque ad mortem, Apoc.  
XII, 9 & 11. Proximè itaque à Scripturâ, vel unà cum  
Scripturâ, ipsâ indice & auspice, audiamus voces & do-  
ctrinam sanctorum & martyrum Iesu, cum quibus pu-  
gnavit, & quorum sanguine ebria fuit urbs illa magna,  
habens imperium super reges terræ. Dum enim mar-  
tyres Iesu vocat, dum per sermonem testimonii eorum

fata-

satanam superatum esse docet, hoc ipso ad eorum testimonia de Iesu audienda, præsertim quæ unanimi consensu omnes tulerunt, & pro quibus stabiliendis mortem oppetierunt, nos invitat.

X. Neque verò quum urbs dominatrix desineret Ecclesiam affligere, illico pejus habere coepit, sed respi-  
ravit potius, & insurgentibus hæresibus majore nisu &  
auctoritate se objecit, coactis oecumenicis synodis, quæ  
rejicerent & damnarent omnes illos, qui divinitatem  
vel Filii vel Spiritus sancti inficiarentur, verbive incar-  
nati vel personam dispergerent vel naturas confunde-  
rent, confessis in hanc rem tantorumque mysteriorum  
declarationem symbolis & confessionibus, non tantum  
eorum, qui præsentes interessent, sed deinceps omni-  
um orthodoxorum persubsequuta hactenus secula con-  
sensu approbatis. Posteriora tempora deteriora fue-  
runt, irruptibus hinc inde & lacerantibus imperij  
provincias barbaris, & non minùs Ecclesiæ quam rei-  
publ. tranquillitatem studiorumque oportunitatem e-  
ripiantibus: denique Romano Pontifice imperium in  
cæteros Christiani orbis Episcopos affectante, & in La-  
tinos paulatim obtinente. Sicut autem è Scripturâ de-  
ducitur effatum paulò antè propositum; ita vel maxi-  
mè hoc, quod modò subjicimus, *Quod universa prima-*  
*ta, Apostolica etati proxima, meliorumq; seculorum Ecclesia*  
*unanimi consensu tanquam dogma ad salutem necessarium, aut*  
*huc fini à Chisto institutum sacramentum habuit & professæ*  
*fuit, id quoque nobis ut tale est laendum. Item conseqüen-*  
*ter, Quod ejusmodi testimonio destituitur, ut tale non est haben-*  
*dum. Atque ita clare nisi nos omnia fallunt, quomo-  
do auctoritas traditionis ecclesiasticæ ex Scripturâ de-  
ducatur eiique subordinetur, ostendimus. Et hunc uni-*  
ver-

versalis Ecclesiæ Traditioni proximum post S. Scripturam locum deberi, & principii secundarii nomine venire posse, existimamus.

XI. Probatâ autem, & ad eum modum ex sacris literis deducâ priscæ traditionis auctoritate, proximum erit, ut quæ sint notæ, juxta quas examinata à fuco & falsitatis suspicione liberetur, dispiciamus. Tres itaq;, juxta Vincentium legitimæ traditionis constitui possunt notæ, Vniversitas, Antiquitas, Consensio: quas si cuiam ad duas, Vniversitatem & Antiquitatis consensum reducere placuerit, non refragamur.

XII. Quomodo hæreticorum particularitati V-  
niversalitas opposita olim fuerit, passim indicat Vin-  
centius. *Vnius aut certè paucorum vñsanie universorum sani-* Cap. 5.  
*tatem anteferri juber.* Sed illis temporibus sine dubio facilius fuit cognoscere, quid universæ Ecclesiæ crederent & docerent, quām hisce nostris, quibus sub tot imperia, regna & dominia universalis distracta est Ecclesia, ut propemodum impossibile, aut difficile minimum sit certis documentis efficere, ut de omnibus totius mundi Ecclesiarum Doctorumque sententiis liquidò constet.

XIII. Cæterùm difficultatem eam videtur compensare, quòd argumentum suppeditet ad eos, qui seorsim dogma aliquod, à quo cæteræ omnes Ecclesiæ dissentiant, tuentur, erroris & novitatis convincendos satis aptum. Sic quòd Pontificii Pontificis Romani super universam Ecclesiam de jure divino primatum sive principatum, & privilegio divino concessam infallibilitatem soli tuentur; quòd qui Reformati audiunt, soli presentiam corporis & sanguinis Christi in sanctâ Eucharistiâ negant; quòd nonnulli dissentientibus omnibus aliis novum ubiquitatis dogma commenti sunt, mag-

num est erroris argumentum. Nihil itaque sic enunciare prohibet; *Quicquid particularis aliqua Ecclesia, dissentientibus & contradictoribus omnibus aliis rotius orbis Christiani Ecclesiis, ad salutem creditu necessarium docet, id quod talem necessitatem attinet, non immerito suspectum haberi potest.*

XIV. Est etiam aliis, nec contemnendus sanè, argumenti hujus usus. Ponamus cum Iudeo aut Mohammedano eò deventum esse, ut agnito errori renunciare, & Christianam veritatem amplecti non abnuat, suspensum tamen teneri, cui Christianorum inter se dissidentium parti nomen dare tutius sit. Non posse ei rectius responderi arbitror, quām dicendo; non obtrusum iri quæcunque unaquæque pars seorsim doceat, sed sufficere si ea amplectatur, in quibus omnes unanimiter convenient, aut certe ea, in quibus tres partes (loquendo nunc de Ecclesiis in Europâ) adversus unam aliquam conspirent.

XV. Huc etiam facit in Ecclesiis passim usitatum & receptum canticum de Spiritu sancto: *Qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.* Spiritus enim sanctus gentes cunctarum diversarum linguarum non congregavit in unitate fidei de primatu & infallibilitate Romani Pontificis, sed in unitate fidei articulorum symboli Apostolici, & quidem intellectorum juxta declarationem & expositionem, quæ à primis œcumenicis Conciliis profecta. Deinde profitentur nostræ etiam Ecclesiæ, Spiritum sanctum universos Christianos unanimi in fide consensu coadunare. Verba symboli metro vernaculo comprehensi ita habent, die ganze Christenheit auf Erden/ heilt in einem Sinne gar eben. Quisnam igitur est unanimis iste, quo Spiritus sanctus universas Christi Ecclesiias copulat, consensus?

sensus? Non certè circa infallibilitatem Romani Pontificis, Purgatorium, Indulgentias aut Iubilæum; sed unanimis, constans & immotus circa fundamentales, quos regulam fidei veteres vocant, articulos. Hunc consensum intellectum volumus, quando Vniversitatem legitimæ traditionis notam esse dicimus.

XVI. Vniversitati addimus alteram traditionis ANTIQUITAS. notam, Antiquitatem seu consensum potius antiquitatis, quo niti plus habet, nisi fallor, certitudinis & minus difficultatis. Consensum autem hunc assequemur, non si privatas quorundam Doctorum opiniones & sententias feligamus, sed si omnium vel certè penè omnium inter se collatas sectemur, & quicquid non unus aut duo Cap. 4. tantum, sed omnes pariter uno eodemq; sensu aperire, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverimus, ut denuo cum Vincentio loquamur, qui tenendum esse monet quod *V N I V E R S A L I T E R A N T I Q U I T Y S* traditum sit; item quod *V B I Q U E*, quod *S E M P E R*, quod *A B O M N I B U S* creditum. Sed eoram, inquit, duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & communione catholicâ sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, ut quidquid vel omnes, vel plures uno eodemq; sensu manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint; id pro indubitate, certo, ratoq; habeatur: quidquid verò quamvis ille sanctus & doctus, quamvis episcopus, quamvis confessor & martyr, præter omnes aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & occultas & privatas opiniones à communis, publicæ ac generalis sententiæ auctoritate secretum sit. Hujusmodi limitibus circumscripta & juxta has conditiones examinata Tradi-

B 12 Cap. 25. Cap. 3. Cap. 37. B 12 ratio,



tio, quæ includit etiam symbola & confessiones cœcum-  
nicarum synodorum, genuina & legitima est, meretur  
que principij conclusionum Theologicarum secunda-  
rii complexi nomen & locum. Sacræ verò Scripturæ  
hoc ipso quidquam detrahi tantum abest, ut potius  
Scripturæ se opponant, qui conclusionem ex eâ dedu-  
ctam oppugnant.

XVII. Derivatur autem ad nos primæ priscæque Ecclesiæ consensus five notitia ejus per duos, ut sic lo-  
quamur, rivos, quorum unum vocaveris ipsa symbola,  
confessiones & declaraciones, quas in Conciliis ut plu-  
rimùm edidit unanimique consensu recepit. Et quan-  
quam rivus hic alicubi deficere videri possit, revera ta-  
men ex quo Ecclesia habuit symbola quæ profiteretur,  
utimox ab ipsis initiosis Apostolicum habuit, nunquam  
**Cap. 38.** defecit. Alterum dixeris multorum & magnorum consenti-  
entes sibi sententias magistrorum, quemadmodum loquitur  
Vincentius: quem etiam paullò ante audivimus dicen-  
**Cap. 39.** tem, *Quicquid vel omnes vel plures uno eodemq; sensu frequen-  
ter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum  
concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indu-  
bitato, certo, ratoq; habeatur.*

XIX. Primiorum & præclaris dotibus insigni-  
um Doctorum scripta fati dentibus divinâ providentiâ  
erepta hodieque exstant, in quibus quid à majoribus  
suis, Apostolis & Apostolicis viris acceperint, bonâ fi-  
de testantur; quid ipsi docuerint apertè loquuntur.  
Non immeritò igitur haberi possunt interpretes & os  
orthodoxæ antiquitatis: reliquorum etiam, quorum  
aut nulla unquam fuerunt, aut nulla hodie exstant scri-  
pta, non coætaneorum modò, sed etiam post-sequuto-  
rum quasi magistri & præceptores. Ab his itaque non  
est



est quod opinemur dissensisse doctores, dotibus & famâ inferiores, quorum nulla existant scripta: nec dissenserere populi non aliam nisi à suis magistris sibi propositam fidem edocti & amplexi. Multorum itaque & magnorum priscæ Ecclesiæ magistrorum consensus, qui ex scriptis eorum inter se collatis innotescit, Catholicae priscæ Ecclesiæ fidem ab hac parte manifestat.

XIX. Quod si verò jam queras de probationis hujus certitudine, qualis & quanta censeri debeat, dicimus, eam parem esse ei, per quam Scripturarum Canon seu catalogus probatur; parem quoque ei, per quam Oecumenica concilia eorumque symbola & confessiones nobis innotescunt. Neutrum enim aliter, quām per testimonia & consensum veterum nobis insinuat. Est scilicet, ut verbo dicamus, certitudo illamoralis, & iantra quanta de rebus gestis humanis inter homines esse potest. Verba sunt venerandi Parentis, Proœmio in libros Augustini de doctrinâ Christianâ & Vincentij commonitorium. Quum autem illud hodie in paucorum sit manibus, unicūm locum ex eo hīc apponemus, in quo omnia, quæ haec tenus diximus, quasi ἀναφελαγχούμ. Ita autem habet: Summa eorum quæ diximus huicredit, non potuisse fieri, ut Ecclesia universa, in primis Ecclesia primorum seculorum in vicem caput seu articulorum fidei falsitates amplectetur & ad posteros propagaret, ut Ecclesia, inquam, universaliter antiquitus in fundamentis religionis erraret; & hoc nobis constare eā certitudine, quæ sacris Scripturis divinisq; promissionibus adsentimur: quæ vero fuerit publica & passim recepta primorum seculorum doctrinæ priscorum doctorum consensu, quem scripta illorum, inter se collata manifestum relinquant, patere certitudine moralis, quæ in illo quidem genere maxima sit & formidinem oppositi sufficienter excludat.

XX. Cæterum, ut quantum in nobis est omnes legenti scrupulos eximamus, addimus etiam non propterea commendari Antiquitatis consensum quod è Sacra Scripturâ, quæ ad salutem creditu necessaria sunt, sufficienter non innotescant, sed ut haereticorum, in evertendis fidei articulis & torquendis Scripturis perversitas eò amplius & hoc etiam modo retundatur. Objectioni obviam ivit Vincentius Commonitorii sui cap. II. Quamvis enim perfectum Scripturarum canonem esse fibig, ad omnia satis superig, sufficere confiteatur, propter varii tamen erroris anfractus multum necesse esse docet, ut Prophetica & Apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici & catholicisensus normam dirigatur. Adeundem modum David Chyträus tractatu De lectione historiarum, qui Chronologiæ Herodoti & Thucydidis præmittitur. *Vrnavis*, inquit, *stat firmius nixa duabus ancoris, ita quum ad vocis divinæ testimonium, consentiens veteris & purioris Ecclesie judicium accedit, non modo voluptate singulare mentes pie afficiuntur, verum etiam fides nostra non parum confirmatur.*

XXI. Scripsit ad Ser<sup>mum</sup> & Cel<sup>mum</sup> Principem CHRISTIANVM LVDOVICVM Ducem Brunsvicensem & Luneburgensem venerandus Parens meus Præfatione ante quinquennium edita: *Coluit & colit académia Iulia studium primæ & antiquitatis ecclesiastice, renax sinceritatis & simplicitatis doctrinæ, quam de summis sanctæ nostræ religionis mysteriis proposuerunt, symbolisq, & confessionibus suis declararunt œcumenica prima concilia Nicanum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense; nec novitates, quas allinere non nulli conditunt, umquam admisit: & veritatem è Scripturâ demonstratam hoc etiam ipso testimonio rectè confirmari censuit.*

XXII. Rem in academiâ Iuliâ ita se habere docent  
Statu-

Statuta Facultatis Theologicæ, quorum hæc sunt verba:  
Ad initia studii Theologici adultiores postea historiam Ecclesiæ  
omnium temporum—adjungent, ut judiciis & consensu catholi-  
ca Ecclesiæ Dei fidem confirmant, & recrudescētia subinde no-  
stris temporibus similia certamina dijudicare gravius possint.  
Non audet se opponere D. Hulsemannus præfatione ad  
eūdem Sermonem Principem, quam maledicæ suæ Dialy-  
si præmisit: pro suâ tamen immani conviciandi libidine  
Parentem ait manifestum veteratorem egisse, ac tantumdem  
dixisse, se consensi scriptorum ecclesiasticorum tribuere facul-  
tatem demonstrandi res credendas, sive una cum Scripturis, si-  
ve post Scripturas, sive in quantum hæc ex Scripturis demonstra-  
ri non possunt. Quod numquam Parenti in mentem ve-  
nit, & directè adversatur illis, quæ juxta Vincentii Com-  
monitorium aliquoties inculcavit. Sed Hulsemannus  
pollet facultate interpretandi non saltem sua verba &  
suam sententiam, sed aliena quoque verba, ijsque sen-  
tentiam, quam voluerit & in calumniam rapere possit,  
affingendi.

XXXIII. Sunt anni xxv, quum Commonitorium  
illud Parens ederet, & Pontificiis facto agmine in has  
provincias tunc irrumpentibus, opponeret. Solent e-  
nim illi obtrectare, quod Protestantē consensum anti-  
quitatis Ecclesiasticæ contemnunt, vel etiam convel-  
lant. Dicebat videlicet cum Urbano Regio: *Habet E. Operum*  
*Lutherus in omnibus præcipuis sive fundamentalibus doctrinæ* parte 1,  
*sue articulis proba & locupletia testimonia veteris Ecclesiæ,* pag. 430.  
*quod non sit nova doctrina, qualem esse adversarii calumniantur.*  
Ad retinendam itaque hanc sive suspicionem sive ca-  
lumniam edidit Parens Commonitorium Vincentij,  
ut ostenderet se paratum esse non tantum nostra utpo-  
te antiqua adserere, sed etiam nova Pontificiorum dog-  
mata,

mata, nempe de primatu & infallibilitate Romani Pontificis, de ejusdem potestate deponendi Imperatores & Reges, eorumque subditos à juratâ fidelitate absolvendi, de transubstantiatione, de subtracto communicantibus calice, de Missis solitariis, de Sacrificio propriè dicto, de Purgatorio, de Indulgentiis & pluribus aliis, non solum ex Sacra Scripturâ, sed etiam juxta dictum Vincentii ex traditione sive unanimi antiquæ & primæ Ecclesie consensu prosternere: certus videlicet, nihil ejusmodi consensu posse stabiliri, nisi quod Sacris Scripturis contineatur. Appellat igitur ὑπόθεσις οὐαὶ & spuriam traditionem, quā Pontificii res & doctrinas ad salutem necessarias nusquam Scripturarum expressas propagari fingant. Neque, si vel maximè legitima sit, principium est abso-lutum, independens vel primarium, sed à Scripturâ derivatur, ejusque respectu est conclusio. Et quum ple-rique quid sit consensus antiquitatis & quomodo eum deduci oporteat, non adsequantur, non est principium demonstrandi cuivis quodvis credendum; sed saltē apud doctiores & peritiiores ejus potest esse usus. Qui verò in-telligunt, quod certitudo ejus divinis promissionibus nitatur, & quomodo in conspicuum producatur, non possunt quod per eum probatur, pro lubitu repudiare, sed tenentur acceptare. Est itaque talibus principium ad rem.

XXIV. Ceterū ordinariè, quando dogma ali-quod probatur, primas tenet demonstratio ex Scripturis; & hanc, ubi locus & opus est, excipit & sequitur pro-batio ex consensu antiquitatis. Neque verò vel hæc vel illa est demonstratio, qualis in syllogismo apodicti-co δίον, ubi idem est principium essendi & cognoscen-dis sed, sive Scripturâ sive Consensu antiquitatis utaris,

utro-

utроби que non nisi principio cognoscendi uteris. Quod si autem ad hominem sive cum Pontificio agas, isq; contendat, sua, qualia superius producta sunt, Traditione vel Consensu antiquitatis, seposita Scripturâ, evincere, quidni ei permittatur? tantundem videlicet lucraturo, si probè examen instituatur, hoc modo quantum alio, id est, nihil. Interim Parens Vincentium, quem ederet, sequutus multa necesse habuit dicere de collatis inter se majorum sententiis, deque eo, quod probati magistri, non uno aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemq; consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuerint, scripserint, docuerint; quamquam persuasus, prolatis antiquissimis symbolis & synodorum, præsertim oecumenicarum, confessionibus, unanihi universalis Ecclesiæ consensu receptis & approbatis, operam probandi & certitudinem compendifieri. Observandum enim est, nec singulos doctores nec multos in unum collectos, & ne quidem universalia, quæ vocant, concilia privilegio non errandi pollere vel muniri: sed quando multorum & magnorum doctorum testimonia vim universalis consensus induunt, eumque manifestant, tum ijs certitudinem detrahi non posse. Sic etiam symbola & confessiones ipsarum oecumenicarum, quas vocant, synodorum auctoritas & certitudo non à præsentibus Patribus & formulârum auctoribus derivatur, sed à subsequito universalis Ecclesiæ consensu, receptione & approbatione.

XXV. Atque ita sententiam nostram de auctoritate antiquitatis Ecclesiasticae explicatam dedimus. Vnicum adhuc ex ipso Vincentio notamus, quod præxire nefas fuerit. *Antiqua, inquit ille, Sanctorum patrum Cap. 39.*  
*consensio non in omnibus divinae legis questiunculis, sed solum,*

C

certe

*erit præcipue, infidei regulâ, magno nobis studio & investigan-*  
*da est & sequenda. Rursus: Necesse est, ut ad unam Eccle-*  
*siastici sensus regulam Scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur,*  
*in iis duntaxat præcipue quæstionibus, quibus totius catholicæ*  
*dogmatis fundamenta nituntur. Quando itaque consensum*  
*antiquitatis proximo post Scripturas loco commendam-*  
*& magni facimus, non hoc volumus, quod in quibusvis*  
*Scripturæ locis interpretandis aut quæstionibus, quæ*  
*absque numero circa articulos & fundamenta fidei, si*  
*licentia indulgeas, excitari possunt, decidendis, con-*  
*sensus ille advocari vel possit vel debeat, sed tum demum*  
*eius sit usus, quando de ipsis fidei articulis & fundamen-*  
*tis, præsertim contra hæreticos negantes aut perverten-*  
*tes, agitur.*

XXVI. Per probè perceptam sententiam nostram ple-  
ræque objectiones à nonnullis hactenus allatæ suâ spon-  
te concident. Obiter nihilominus liceat unam atque  
alteram afferre. Et primum quidem inclementer ad-  
modum excipitur, si consensum antiquæ Ecclesiæ vo-  
cemus principium conclusionum Theologicarum se-  
cundarium, præsertim si addatur, esse principium non  
tantum ad hominem, ut loquimur, sed ad rem quoque.  
Verùm si quis consideret latitudinem termini, qui prin-  
cipii nomine venit, non indignabitur, si audiet illum  
consensi antiquitatis Ecclesiasticæ imponi. Si enim  
tertio illo à nobis proposito significatu capias, pro sede  
seu domicilio, ex quo probationes desumimus, quis au-  
dit traditioni illi hanc appellationem denegare? Si ve-  
rò principii vocem accipias pro principio cognoscendi  
complexo sive propositione, ex qua aliæ deducantur,  
idoneâ, sanè principium jure meritoque vocaveris il-  
lam, quam attulimus in fine Th. IIX, ex Scripturâ per

mo-

Suprà nu-  
méro 4.

modum conclusionis deductam, & sub quā rursus conclusiones aliæ elici possint; præsertim quum id nominis falsis quoque propositionibus tribuatur, v. gr. quum dicimus disputatorem procedere è falsis principiis. No-  
tanter dico esse principium cognoscendi: nunquam e-  
nim sive venerandus Parens sive præceptor meus Cla-  
r̄mus Hornejus ὁ μαρτύς, docuerunt aut scripserunt, con-  
fessurū hunc esse principium constitutivum rerum credendarum,  
non confirmativum seu roborativum tantum. Interim ter-  
mino illi non adeò tenaciter inhæremus, ut ferre neque-  
amus illum alio commutari. Per nos enim licet ut qui  
sine naufragiū eum vix audire sustinent dicant cum D. Bal-  
thasare Mentzero; perpetuum consensum omnium, qui unquam  
vixerunt piorum Ecclesie doctorum, esse testimonium secundari-  
um à priori (Scripturis divinis) dependens eiq; conforme.  
Exegeſi ad  
Epilog.  
Aug. Conf.  
Iam verò quicquid testimonii rationem habet, idem  
quoquo principium cognoscendi censendum esse ma-  
nifestum est. Deinde esse consensum istum principium  
non tantum ad hominem sed & ad rem, ita probatur:  
Cui S. Scriptura tribuit, quòd ab erroribus fundamen-  
ta evertentibus immunis sit, ejus auctoritate uti licet  
tanquam principio non ad hominem tantum sed etiam  
ad rem, ad omnem videlicet illum qui Christiano nomi-  
ne censi cupit. Atqui universalis Ecclesiæ Sacra Scriptura  
tribuit, quòd ab erroribus fundamenta evertentibus im-  
munis sit. Ergo ejus auctoritate uti licet &c.

XXVII. Alia objectio hoc modo proponi solet.  
*Principium scientiæ coæcum est ipsi scientiæ. At consensus an-*  
*tiquitatis quinquesecularis (ita enim novo vocabulo ap-*  
*pellant) longè posterior est ipsa scientia rerum divinarum in*  
*N. T. credendarum. Ergo. Respondetur ad Majorem,*  
*principium quidem prius esse eo, cuius sit principium;*

C 2

atque



atque adeo, quod principium cognitionis attinet, non requiri ut sit prius re illâ quæ cognoscitur, sed sufficere ut sit prius hac ipsâ ex tali principio derivatâ cognitione rei quæ cognoscitur, seu re cognitâ ut cognitâ.

s. Mer. c. i, q. i, sect. 4. Principia cognitionis, ait rectè Fonseca, non dicuntur absolute principia rei cognitae, sed cognitionis illius, seu, quod idem est, rei cognitæ ut cognitæ. Sit itaque consensus ille, qui è symbolis & scriptis doctorum priscæ Ecclesiæ innotescit, posterior illis divinis rebus, hodie tamen hominis inde addiscentis cognitionem antecedit, quod ad principium cognoscendi sufficere diximus. Sic fumus est principium cognoscendi ignem; vestigium leporis, cognoscendi & investigandi leporem, licet ignis fumo, lepus vestigio tempore sit prior. Eodem recidit, si quis dixerit, articulos fidei creditos priùs fuisse, quam proferri potuerit tot ecclesiarum & seculorum consensus. Et si quid hujusmodi objectiones efficerent, id non minus contra Scripturam quam contra legitimam traditionem obtineret. Priùs enim articuli fidei credebantur, quam ullâ scripturâ consignarentur. Quod tamen infallibili Scripturæ auctoritati nihil detrahit.

XXIX. Porrò objicitur, quod testimonium Ecclesiæ tantum sit auctoritatis humanæ, & proinde non possit esse principium cognoscendi fidem divinam. Argumentum erit tale: Nullum testimonium humanum est principium cognoscendi ejus, quod credendum est fide divinâ. Testimonium Ecclesiæ est testimonium humanum. Ergo non erit principium cognoscendi ea, quæ creduntur fide divinâ. Observandum autem est, auctoritatem Ecclesiæ aliam externam esse in eo positam, quod hodie illa complectitur florem generis humani, & quidquid in orbe est literis & scientiis excultum,

tum, ut quod extra eam est, cum ipsa comparatum  
barbarum videri possit & indoctum. Hinc itaque for-  
titur auctoritatem inducendi sive commovendi homi-  
nem, ut Christianam religionem & doctrinam præ cæ-  
teris æstimet & amplectatur. Auctoritas autem inter-  
ha, in eo posita, quod Christus promisit se Ecclesiæ  
perpetuò ad futurum & præstitum, ne adversus eam  
portæ inferorum prævaleant, ex Scripturis demonstrata  
in animo hominis Christiani efficit, ut quod illa una-  
nimi consensu semper professa fuit & profitetur, cœle-  
stem veritatem esse non dubitet. Priorem sensum si  
spectemus, falsa est Major: si posteriorem, Minor.

XXIX. Faustus Socinus, magnus ille hæreticus &  
novator, ut vim auctoritatis, quâ pollet unanimis con-  
sensus antiquæ Ecclesiæ, enervet, cauflatur multa Pa-  
trum scripta deperdita esse, ut ex cæteris, qui super-  
sunt, ὅμοφερόθμων eorum γόνοις cognosci nequeat. Sa-  
nè novimus benè multa sanctorum veterum scripta, &  
inter illa quoque non pauca insignia, temporum inju-  
riis, jacturâ haut levi, intercidisse. Certum est nihilo-  
minus, magnorum Ecclesiæ lumen & martyrum  
Christi egregias lucubrationes divinâ providentiâ ser-  
vatas, è quibus quænam eorum tempore totius Eccle-  
siæ fides fuerit, certitudine tantâ, quanta de rebus ab  
hominibus & inter homines gestis esse potest, innote-  
scat. Hisce autem conjungi ut possunt ita debent Sym-  
bola & œcumenicorum conciliorum confessiones, quæ  
majorem etiam & promptiorem, quam Patrum scripta  
vim probandi habent, quum non seorsim hujus aut  
illius, sed junctim universæ Ecclesiæ sententiam pro-  
ferant, præsertim ex quo universaliter receptæ & ap-  
probatae sunt.

XXX. Probamus autem quæ Socino eruditè reposuit venerandus b. m. præceptor noster Dn. D. Horneius. Si adid, inquit, ut scias antiquitatem de hac aut illâ re consentire, non sufficit, ut cuncti illorum temporum scriptores id concorditer testentur, sed prætereare requiritur, ut illi ipsi omnes id scripserint, qui eâ in re consenserunt, nihil in universum tale ex antiquitate constare potest. Et post pauca: Sed nec id antiquitatis consensu firmari deinceps dicemus, Persas à Græcis apud Marathonem & Salaminem, aut Romanos ab Hannibale ad Thrasimenum & Cannas devictos esse, quia nec trecenti scriptores, qui olim pugnam Marathoniam, nec multi qui Cannensem descripserunt, hodie supersunt, multò minus omnes, qui iis temporibus vixerunt, historias condiderunt. Hæc ille.

Disput. 4.  
scđ. 2. de  
Tract. th.  
75.

XXXI. Existimo nunc satis liquere, quænam nostra sit de universalis primævæ Ecclesiæ, sive de Ecclesiasticæ traditionis auctoritate sententia: nempe quòd ex Sacrâ Scripturâ, utpote quæ sola summum & primum sit principium, suam vim sortiatur; quòd sit principium secundarium non rerum ipsarum, sed conclusio- num sive principium cognoscendi, non essendi; quòd ad articulos fundamentales & necessarios restringatur, nec ad quasvis quæstiones vel dubiorum Scripturæ locorum interpretationem extendatur; quòd per eam nihil aliud, quam quod in Scripturâ traditur, confirmetur; quòd ejusmodi confirmatio non sit simpliciter necessaria, sed faciat ad hæreticos ampliùs & uberiùs retundendos; in primis quòd Romanorum Pontificum post meliora secula inventas novitates, superstitiones, corruptelas & dominatum prosternat. Verbi gratiâ, si Pontificii contra nos demonstrare possunt suum Pontificem divinitus & ab ipso Christo constitutum esse universæ Ecclesiæ principem, qui in eâ vices Christi o- beat,

beat, cuncta regat & disponat, Episcopos constituat & indignos amoveat, quin exorta dubia & disputationes infallibili sententiâ definiat, imò Imperatores & Reges tum propter hæreses & delicta, tum propter ignaviam vel imperitiam gubernandi deponat, eorumque subditos à juratâ fidelitate adsolvat: si hæc, inquam, contra nos de suo Pontifice Pontificii demonstrare & evincere poterunt, rem totam factam habebunt. Imò si vel solam infallibilitatem evicerint non erit, quod de ullo amplius sint solliciti: firmo enim talo stabunt Tridentina & quæcunque alia Pontifica anathemata. Cætrum præter Scripturam admittunt illi & magni faciunt Traditionem; adeo, ut si nec Scripturâ, in quâ nullibi Romani Pontificis sit mentio, nec ex Traditione evincere possint, omnia ista suapte sponte corruant. Quin sequetur Pontificem perduellem esse Christi, quod in ejus regnum involet, & ibi vicariam potestatem sine mandato usurpet; imò universi orbis imperia & regna petulanter invadere, eorumque ima fundamenta quassare, ut propterea dignus sit, quem omnes patriæ & Principum suorum amantes detestentur & abominentur. Si Pontifica, inquam, infallibilitas & potestas nec ex sacrâ Scripturâ nec ex genuinâ Traditione adseri & evinci potest; ejusmodi conclusio certò & necessariò inferetur.

XXXII. Sed ista ulterius hic persequi nolumus. Adjungemus saltem de Traditione universali ecclesiasticâ judicium B.Lutheri ex epistolâ, quam scripsit ad Albertum Ducem Borussiæ. Es ist dieser Articul / nempe Tomo 5.  
de præsentî Dominici corporis & sanguinis in sanctâ Len. edit.  
Eucharistiâ, nicht eine Lehre oder Außsaß ausser der Schrift/ anni 1588.  
von Menschen erdichtet/ sondern klarlich im Evangelio durch pag. 488.  
helle/

helle/reine/vngezwieffelte Wort Christi gestifft vnd gegründet/ vnd von Anfang der Christlichen Kirchen in aller Welt/ bis auff diese Stunde/ einträchtiglich geglaubet vnd gehalten/ wie das aufzuweisen der lieben Väter Bücher vnd Schrift/ bende Griechischer vnd Lateinischer Sprache/ dazu der tägliche Gebrauch vnd das Werk mit der Erfahrung bis auff diese Stunde. Welches Zeugnis der ganzen heiligen Christlichen Kirchen/ (wenn wir schon nichts mehr hetten) sol vns allein gnugsam seyn/ bey diesem Articul zu bleiben/ vnd darüber keinen Rottengeist zu hören noch zu leiden. Denn es fährlich ist vnd erschrocklich/ etwas zu hören vnd zu glauben wider das einträchtige Zeugnis/ Glauben vnd Lehre der ganzen heiligen Christlichen Kirchen/ so von Anfang her/ nun über funfzehn hundert Jahr in aller Welt einträchtiglich gehalten hat. Wenns ein new Articul were/ vnd nicht von Anfang der heiligen Christlichen Kirchen/ oder were nicht bey allen Kirchen/ noch bey der ganzen Christenheit in aller Welt so einträchtiglich gehalten/ were es nicht so gefährlich vnd schrocklich davon zu zweiffeln/ oder disputiren oß recht seyn. Nur er aber von Anfang her/ vnd so weit die ganze Christenheit ist/ einträchtiglich gehalten ist/ wer nun daran zweiffelt/ der thut eben so viel/ als glaubet er keine Christliche Kirche/ vnd verdampt damit nicht allein die ganze heilige Christliche Kirche/ als eine verdampfte Rekerinne/ sondern auch Christum selbst mit allen Aposteln vnd Propheten/ die diesen Articul da wir sprechen (Ich glaube eine heilige Christliche Kirche) gegründet haben/ vnd gewaltig bezeuget/ nemlich/ Christus Matth. 28: Sihe ich bin bey euch bis an der Welt Ende. Und S. Paulus 1. Timothei. 3: Die Kirche Gottes ist eine Seule vnd Grundfeste der Wahrheit. Et post pauca: Wiz der der ganzen heiligen Kirchen so lang her gebrachten vnd allenthalben gehalten Glauben vnd einträchtig Zeugnis et was

was zu lehren gestaffen / so mans wol könnte wehren / ist ein  
vnreglich Last des Gewissens. Ich wolt lieber nicht allein  
aller Rottengeister / sondern aller Käyser / Könige vnd Für-  
sten Weisheit vnd Rechte wieder mich lassen zeugen / denn ein  
Iota oder ein Tüttel der ganzen heiligen Christlichen Kirchen  
wider mich hören oder sehen.

XXXIII. Dicent fortè, de universali quidem pri-  
scæ Ecclesiæ consensu rectè affirmari, quòd ei non sit  
contradicendum; sed eum erui, ostendi, vel ob oculos  
poni non posse. Valde verò ineptum foret B. Luthe-  
rum aliosque optimos doctores ad eum provocare, si e-  
rui non posset; provocare videlicet ad id, quod in re-  
rum naturâ non sit. Fuerit enim argumentum ineffi-  
cax & nullum, si sola Major certa sit, Minor autem pro-  
bari nequeat.

XXXIV. B. Luthero conjungamus Philippum  
Melanchthonem, qui responsione ad Clerum Coloni-  
ensem, Regulam, inquit, sequimur certam doctrinæ, scriptæ  
Prophetarum & Apostolorum; Symbola, Apostolicum, Nicæ-  
num & Athanasii; sententias synodorum veterum, quæ pro-  
bantur, Nicæna, ByZantina, Ephesina, Chalcedonensis, & simi-  
lia purioris Ecclesiæ veteræ testimonia. Nec dubitamus hoc  
genus doctrinæ, quod profidentur Ecclesiæ nostra, verè esse con-  
sensum Ecclesiæ catholice Christi. Item Epistolâ ad Angliæ  
Regem Henricum octavum: *Nostra habent evidens & fir-* Tomo 2;  
*mum testimonium primæ ecclesiæ, quod non dubito omnium poste-* pag. 96.  
*riorum judicis opponere, qui veterem doctrinam, veteres ritus*  
*multis erroribus contaminarunt.* Quin ipsa Augustana con-  
fessio Epilogo ultimo: *Manifestum est, nos diligenter* Tomo 4;  
*savisse, ne qua nova & impia dogmata in Ecclesiæ nostræ serpe-* in fine.  
*rent.* Nova dogmata caveri non possunt, nisi constet  
quæ sint antiqua; & nisi certum sit si dicatur, *Quod de-*

D stitui-

stituitur antiquitatis testimonio, non est antiquum, sed novum.

XXXV. Pridem produximus eximium Doctorem Martinum Chemnitium, confessum nos ab illis dissentire, qui singunt opiniones, que nulla habent testimonia ullius temporis in Ecclesia. Item nullum dogma in Ecclesia novum & cum tota antiquitate pugnans recipiendum esse. Hoc autem eodem recidit, & notitiam antiquitatis supponit. Idem Praefatione in quartam partem Examinis decretorum Concilii Tridentini de Illustrissimi Principe IULIO, aca- demiae hujus Iuliæ conditore testatur, quod Generosissimi Filiis suis, ut meminissent præcipua capita doctrina cœlestis non obiter & in superficie, (quod dicitur) sed ex ipsis fundamen- tis sibi cognoscenda esse, voluerit a primis annis tradi, com- mendari & proponi ita scripta, in quibus ex Sacra Scriptura fundementis, & ex veræ antiquitatis consentientibus testimoniis, doctrina explicetur, & errorum atq; superstitionum solida refu- rationes monstrentur.

XXXVI. Eximo Doctori jungatur aliis exi- mius, nempe D. Iohannes Gerhardus, qui quinquecen- cularem, quam vocant, antiquitatem amplexus Loco de Ecclesiâ, numero cciv, Cetum est, inquit, antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiam fuisse, & Apostolorum doctrinam tenuisse. Et numero ccv: Parati sumus singula fidei nostræ capita cum Pontificiis controversa ex Patrum claris & diserris testimoniis corprobare: ideo non im- probatur nobis prior ille modus, ut ex scriptis Parrum, qui pri- mis quingentis annis vixerunt, in singulis articulis testimonia colligantur.

XXXVII. Accedat D. Iohannes Georgius Dor- scheus, qui Collatione ad concilium Francofurtense, Pag. 133. Pulcrum est, inquit, jucundum est, urile est, imò proprius ad- versari.

versarios corrupte imaginationis nonnunquam necessarium est  
videre quomodo doctrina Iesu Christi ab ipso & Apostolis præ-  
dicata, seculis aliquor sequentibus floruerit & longè lateq; pro-  
pagata fuerit in orbem terrarum. Testimonium illud historicum  
si jungatur sacrarum literarum auctoritati, mirificè percellit  
adversarios veritatis. Hæc ibi Dorscheus.

XXXIX. Accedat D. Iohannes Hulsemannus,  
qui Disputatione de Præscriptione, quam anno abhinc  
octavo Lipsiæ habuit, affirmat, Augustanæ confessionis Pro-  
fessores tenacissimè adhærere & insister eisdem doctrinæ &  
fidei, quæ ante factum schisma, id est, annum Christi millesimum  
quingentesimum, tamquam publica & communis fides univer-  
salis & Catholicæ Christi Ecclesiæ, omnibus ubique Christianis  
ad credendum & observandum, tanquam de fide fuit proposita;  
quantacunque, inquit, ex Symbolis & Decretis Oecumenicis, ubi-  
que inter Christianos receptis, potuit & poterit nobis demonstra-  
ri. Fatetur ante eum, quem expressit, annum univer-  
salis Ecclesiæ fidem fuisse veram fidem; alioquin enim  
non diceret, Professores Augustanæ confessionis illi te-  
nacissimè adhærere: & fatetur eamdem ex symbolis &  
decretis oecumenicis, ubique inter Christianos rece-  
ptis, demonstrari posse.

XXXIX. Accedat etiam tandem D. Iohannes Schar-  
fus, qui anno 1540 adhuc Licentiatus extraordinarias Theologicas lectiones exorsurus, & Programma-  
te studiosos ad audiendum invitans, Id agam, inquit,  
oportet fideliter, ut de votis factis votis, ex puro Dei verbo, &  
consensu Ecclesiæ Catholicæ perpetuo, in timore Domini, tan-  
quam in conspectu justi judicis, probè ac candidè examinentur  
omnia, quæ ad rem ipsum, fidem, & salutem nostram pertinent.  
Et ista nunc hic sufficiant. Deus pacis conterat sata-  
nam sub pedes nostros citò; ut aliquando fiat, quod ha-

het Recessus Imperii, quo anno superioris seculi quinquagesimo quinto Pax religionis, quam vocant, sancitur, nempe, Es sol die streitig Religion nicht anderst, dann durch Christliche, freundliche, friedliche mittel vnd wege zu einhelligem Christlichen Verstande vnd Vergleichung gebrachte werden. Präcessit paullò ante: Es sol ein jeder den andern mit richter Freundschaft vnd Christlicher Lich meissen.

XL. Quamvis autem res videatur mirum in modum difficilis & intricata, non tamen inter impossibilia refertur vel spes omnis abjicitur Instrumento Pacis inter Sacras Majestates Cæsaream & Suedicam confecto. Iuber enim non semel, quæ transacta sunt, haberi rata, usq. dum de Religionis dissidiis per Dei gratiam conventum fuerit: nempe si non ubique terrarum, saltem in Germaniâ. Additur, Si vero, quod Deus prohibeat, de Religionis dissidiis amicabiliter conveniri non possit, nihilominus hæc Conventio perpetua sit, & Pax semper duratura. Desiderium igitur & spes aliqua tollendorum vel saltem minuendorum dissidiorum, & consilia in eum finem sine omni determinatione & præjudicio non nisi consultationis & considerationis ergo proposita, impietatis & improbi syncretismi accusari, vel diabolicae inspirationi imputari non debent. Qui accusant aut imputant, quale Christi mandatis obsequium præsent, & quomodo cum cæteris Christianis consentiant, si præferociâ & odio possunt, expendant. Deus, apud quem nihil est quod fieri nequeat, mitigationem & meliorem mentem, quam hactenus tantopere aversantur, clementer indat.

---

NB. Numero XXIV sub finem lege, synodorum quod attinet, earum auctoritas &c.

F I N I S.







AB:154014  
X2617813

R  
VD 17





**Farbkarte #13**



20.  
DE  
VNIVERSALIS  
PRIMÆVÆ ECCLESIAE  
AVCTORITATE  
EXERCITATIO,  
QUAM  
AVSPICE DEO OPT. MAX.  
SVB PRAESIDIO  
FRIDERICI VLRICI CALIXTI  
S. THEOL D. ET PROE.  
PUBLICE  
IN ACADEMIA IVLIA  
DIE MARTII  
SUSTINEBIT  
IOHANNES HJNGES  
SEESENSIS.  
HELMESTADJ,  
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT  
HENNINGVS MULLERVS.  
CIC 10 CLIV.